


25.  
d  
c  
h  
3270

SYNOPSIS HISTORICA  
SOLEMNITATIS  
QVAM HONORI  
FERDINANDI IV.  
ROMANORVM REGIS  
ELECTI, ET CORONATI  
COLLEGIVM GERMANICVM, ET VNCARICVM  
DICAVIT  
ROMÆ M.DC.LIII. XXVIII. IVLII.



2007



Mr. WERNER WOLFGANG



## Synopsis Historica.



OSTE A Q V A M non dubia Vrbem fama perusasit, F E R D I N A N D U M IV. Serenissimum Hungarię, & Bohemię Regē, concordibus Septemvirorum suffragijs, Augustae Vindelicorum Romano-Germanicis sceptris moderandis destinatum esse; ingēs omnium ordinum plausus & gratulatio subsecuta fuit: his hæreditarias Austriae, Cæsa- rum altrici, coronas aduouentibus; illis aurea pacis secula, post ferreā Martis tempestatē in FERDINAN- DO IV. Germaniā omnibus; alijs Christianæ Reip. eum gra- tulantibus Regem, qui PRO DEO, ET POPVLO, prouida men- te, ad regni gubernacula excubans, vnuſ omnium euigulaturus esset pericula. In hac ergo publica plaudentis Vrbis, & Orbis læ- titia, Collegium quoque Germanicum, & Vngaricum, ad fanfis- simi nuncijs famam exultans, lætam gaudiorum scenam apparare, constituit. Sed ne, quod magnis euenire solet affectibus, inordi- natè gauderemus; communibus primū, communem Christiani Orbis felicitatem, studijs exceperimus, priuatis postea litaturi amo- ribus. Duabus itaque noctibus, quibus Vrbs prope tota, inter festiuos ignium, lumenq; ardores reluxit, etiam Collegium noſtrum in triumphales exarsit rogos, quos incendiarius amor, regijs F E R D I N A N D I IV. honoribus excitauit. Quia ve- ro, quod alijs commune fuit, Collegio noſtro Germanico, & Vn- garico proprium, imo duplicatum accidit gaudium, ut pote quā Regem in FERDINANDO IV. non tam accepisse, quam dedit- se lætabamus, æquum etiam erat, ut pleniū affectui, in Regem, dupliči nomine noſtrum, indulgentes, singulare aliquod amoris & pietatis monumēnum Posteris ad æmulationem statueremus. Destinatus est itaque solemnitati V. Kal. Sext. proximus ab illo dies, quo Eminentissimus Cardinalis Hieronymus Columna, splé- didam munificamque trium dierum solemnitatem, quam recens

inaugurati Regis dicarat honoribus, nō sine iucunda inspe&antie populi admurmuratione, absoluera. Ut autem illus&trior vndeque que tantæ celebritatis splendor affulgeret, Eminentissimus Cardinalis Barberinus Collegij nostri Protector, magnifico & verè regio apparatu totum fecit Templum adornari, qui quamuis sua se abūdē maiestate commendarit, nec aliena egat luce, vt splendeat i netamen beneficium, quod Eminentissimi Cardinalis magnificētia, oculis publicum prostare voluit, ingrati obliuionis nocte tumelemus, omnem illum ornatum legentium etiam animis rudi delineatum calamo, subiçere placuit.

Subeuntibus igitur ædem, primo statim intuitu occurrit superbū phrygia acu pictum opus, quod ab apside aræ summæ in eiusdem cornua defluxerat: inde per utrumque templi latus triplex aulæorum ordo se explicuit, supremus rubro ardens holoserico, medius auro textus, infimus attalico pictus artificio. Quæ triplex tapetiorum series medianam templi nauim à summitate laquearis ad pavimentum usque mira venustate condecorauit: atque ut maior ab ipsa varietate elegantia accederet, muricatus ille holoserici decor, peristromatis minoribus, Apellis penicillos texturæ artificio mentientibus, distinctus erat. Tam medium vero quam supremum tapetiorum ordinem sua Coronis, rubri altera holoserici, altera multo diues auro, phrygij operis coronabat. Dici non potest, qua spectantium oculos admiratione & quodam quasi attonitatem mentis stupore tenuerit defixos, apparatus illius diei, varietate, pretio, & ipso, quo nihil in rebus pulchrius est, ordine ab omnibus commendatus.

Adornato in hunc modum templo, die constituto, horis ante meridianis, sub decimam tertiam stylī Italici, astromicam nonam, ut à Deo, festiuæ solemnitatis initium sumeremus, solempne Missæ Sacrificium cantari cœptum est, litante ad aras R. Patre IO: Paulo Oliva Soc. Iesu, Collegij Germanici & Vngarici Rectore, ac S. D. N. I N N O C E N T II X. Sacro Ecclesiaste. Peracto verò inter dulcissimos modulantum vocum concentus, diuino Missæ officio, ut debita Cœlo gratia redderentur, vnde scepta fluunt & Coronæ, Hymnus D. Ambroſij, eadem, qua cætera, solemnitate decantatus est, quem festa excipiens æneorum mortariolorum explosio antemeridianæ festiuitati finem imposuit. Auxerunt verò præsentem solemnitatem quam maximè Eminentissimi Cardinales Protectores Collegij nostri, Franciscus, & Antonius Barberini, Nicolaus Ludouisius, & Camillus Pamphilius, qui diuino officio

officio hymnoque Ambrosiano interesse dignati, suæ fulgore puræ totam eam celebritatis pompam reddidere augustiorē. De musica porrò eius diei quid dicam? quæ si alias ita semper excelluit, ut non alibi magis aurium deliciæ exquirantur, quam in D. Apollinaris sacra æde, vt vulgo iam vox in Vrbe percrebuit; an maiorem à calamo meo lucem possit expectare eius diei suauissima harmonia, quo nihil eorum omisimus, quibus gaudium, quod nostrum omnium animos inundarat, publicum faceremus vniuersis? Populi certè maris instar affluentis & resfluentis vox ea fuit: siue augustam Purpuratorum præsentiam, siue regalem parietum pompam, siue denique vocalis artificij blandimenta speætes, nihil ad magnificentiam eius diei potuisse desiderari. Sed nunc ea prosequamur que reliquam diei partem in plausu occuparunt.

Post meridiem itaque reditum est ad templum, parique hominum frequentia, nec impari splendore Vesperæ solemnes decantatæ sunt, quas terminauit iteratus æneorum mortariolorum fragor, quo totus circum aër immugitur. Inde vero omnis solemnitas ex templo in subiectam Collegio nostro aream translata est, ubi ad septuaginta palmarum altitudinem eleganti struenda machina pyrobolica assurrexit, eo situ, ut eius meridionale latus plateæ Agonali obuersum, etiam è longinquō spectantium oculos admitteret. Tetragona basi tota moles fundata stetit, ipsam vero per circuitum basin augustissimæ Austriorum gentis insignia & multiplex Heroæ Domus, panoplia argento, & pulchra colorum itide variegata venustarunt. Ex quatuor basis angulis regium F E R D I N A N D I I V. Symbolum prominebat, secundum quatuor deinceps machinæ latera, quatuor Leones vastissimam terrei globi mollem fulciebant, quibus siue Herculeum inclytæ Domus robur, & fortitudinem, siue Bohemica nota si sceptræ velimus, verum semper erit, non nisi in Austria, Leones nasci, qui Orbis etiam conuulsi ruinas infraacta possint virtute sufflinere. Mundo, cuius diameter quinque, & decem pedum erat, aquila biceps alis ad amplexum expansis, imperiali redimita diademate incumbebat. Typum opportunè dixeris Austriaci Imperij, quod toto latè terrarum orbe diffusum etiam toto seiuanda Oceano regna amplectitur. Studiosè ab omnibus celebrata fuit pyrobolica huius molis architectura, Equitis Rinaldi opus, vt nemo esset, qui non pulcherrimam singularum sibi cohærentium partium Symmetriam summè commendaret, nemo qui non insignem totius operis magnificentiam præter solitum admiraretur, nec defuere, qui affirmare sint ausi nihil multis

multis retrò annis in genere strukturæ pyrobolicæ dignius in Vrbe  
vulsum esse.

Dum ita pyrobolare theatrum omnium oculis sermonibusque  
staret expositum, interea sub horam 22. quintam circiter astrono-  
micam, clangere tubæ, sonare tympana, & harmonicus sympho-  
niacorum concentus circumfluentis populi aures leniter demul-  
cere, tota denique vicinia illa plausu, & festis latitiae vocibus per-  
strepere, nec iam populare duntaxat vulgus maximo confluxerat  
numero, sed etiam Vrbis Optimates, Patresque Purpurati festiu-  
euocati plausu ad pyrobolicum spectaculum non infrequentes ad-  
suere. Et quia area nostra tantæ multitudinis capax nō erat, maior  
pars in plateam agonalem se effuderat, cuius omnem longitudinem  
stipato obsidebat agmine multitudo spectantium, aut ex curribus,  
qui frequentissimi aderant, aut inter curuum angustias consertim  
glomerati,

Abeunte demum in noctem die reiterato lato mortariolorum  
murmure pyrobolicæ scena prolusum est, inde tota Collegij fa-  
cies, quæ aream respicit, inter facum lucernarumque fulgores re-  
splenduit, neq. hic singulare Excellentissimi Dicis ab Altempo studi-  
um in publicæ latitiae partem venire gestientis dissimulare fas  
est, qui ut solemnitati huic nostræ lucem adderet ampliorem, om-  
nes palatij sui fenestræ facibus collocere voluit, neque minus reli-  
quæ vicinorum familiæ suæ in Collegium, aut verius in eum, cui  
Collegium plausit, deuotionem testari voluere, dum singuli fene-  
stræ per diem vario peristromatum ornatu, per noctem luminibus  
fecere conspicuas.

Sed iam opportuna spectaculis ignibus prima noctis fax aderat, cū  
operis pyrobolici Magister Michael Particella tenuē in Imperialis  
coronæ apicem immittens flammarum, omnes repente machinæ, iu-  
cundo spectantibus artificio, tenebras expugnauit, adeo ut vno  
quasi momento illud ignium theatrum inter lumen, velut tor-  
dem scintillantiū stellarū ardores relucere admiraretur vniuersi,  
tenuit aliquanto tempore illustre hoc proscenium applaudentem  
multitudinem, cum inopinatò, quasi ex ignium voragine, aut Cer-  
beri hiantis rictu flaminarum erumpere globi, missiles per aera  
stridere ignes, diffundi in orbem, procurrere in latera, in anguum  
spirastorqueri, serpere per aditus cuneos, rapi in sublime, &  
ad ipsa vique igneæ regionis confinia aditum moliri, denique  
tempestas ignea, sed innocua videri poterat, aut Iupiter aliquis ex  
machina tonare, fulgurare, fulminare. Commendatum fuit in hoc

pyrobolico artificio singulare opificis ingenium, tum quod nihil tumultuario opere, sed sernatis rerum, & temporum momentis singula arserint, tum quod inter prorumpentia vndelibet incendia, tota nihilominus lignea moliſ ſtruſ, & ſtatua illaſa perſtitent: adeo ut ipsum quoque buſtum altero die non mediocriter inſpeſantium oculos afficeret. Sed ne cum ardore finierat pyrobolica machina, cum nouam ignium scenam templi nostri turris repondit, ex qua denga pyrobolorum grando erumpens omnem eam aurea argenteaque pluuiā inundatura videbatur, quam non malè aliqui omen interpretabantur aurea illius pluuiæ, qua ſub pacifico FERDINANDI IV. imperio nō Germania tantum, ſed totus Christianus Orbis fecundandus foret, vt iam cum Veritate canere liceat.

**AVREA FERNANDVS QVARTVS DAT SECVLÀ TERRIS**  
 Igneum porrò hunc pyrobolorum nimbum reliquamq diei huius Celebritatem fauſtæ, plaudentis multitudinis, acclamatiōnes excepere, FERDINANDIS Patri, & Filio, Augustis, geminis Imperij Solibus, Victorias, lauros, triumphos, Immortalitatem gratulabundi adiuuentes, quorum votis ut Cœlum adſpiret, tanto optandum eſt ardentius quanto verius experimut in duobus FERDINANDIS, Patre & Filio, duos ſeculo nostro, vel ideo aureo, Titos Vespasianos reuixiffe, quibus merito illud Tibi accinatur Elogium: **FERDINANDI GENERIS HVMANI DELICIAE.**

Viuite igitur (mitatem  
 Ad Augustissimæ vestræ Domus immortale decus, Imperij fit-  
 Religionis Incrementum.

O Soles Austraci; Augusta Sidera, Germaniæ Atlantes,  
 Et perennate.

Sic vocet & adprecatur  
 Collegium Germanicum, & Vngaricum  
 Impera vterque diu felix FERDINANDE  
 Vterque perenna

**DeLICIAE nostræ, FerDIanDc.**

Imprimatur, Si videbuer Reuerendissimo P. Mag.  
Sacri Palatij Apostolici.

*A. Episcopus Verulan. Viceg.*

இந்துகளின் வடிவீடுகளின் வகைகள்

*Imprimatur,*

Fr. Vincentius Fanus, Socius Reuerendiss. P. Fr.  
Vincentij Candidi Mag. Sacr. Palat. Apostol.  
Ord. Præd.



R O M AE.

Typis Hæredum Francisci Corbelletti 1653:

---

*Superiorum Permissu.*